

1589 contendit. In castra cum venisset, ad regium procuratorem deductus, habere se inquit nonnullas Harlei, Senatus Parisiensis præsidis, ad Regem literas atque arcana, quæ tuto scriptis committi nequeant, ad eumque potissimum attinerent. Henricus procuratori hominem hospitio excipere, perhumaniterque tractare usque in sequentem diem, jubet. Postridie ejus diei in regium cubiculum, in quo Bellagardius ac generalis procurator tantum aderant, deducitur. Rex, ut, quæ sibi communicare Clemens vellet, singillatim summotis arbitris percipiat, secedere eos paulisper præcipit. Tum monachus, patrandi facinoris opportunitatem adesse ratus, literas e sinueductas Regi læva porrigit, dextera eodem momento gladio arrepto, epistolam attente perlegenti ventrem magna vi ictuque suffodit. Henricus faucium se sentiens, illico e vulnere gladio avulso, in monachi oculum impingit. Clamore sublato, domestici accurrunt, qui indignitate execrandi facinoris perculsi, ac fere exanimis, ex templo parricidam gladiis contisque minutatim concidunt atque obtruncant. Regi lectulo imposito, a medicis atque chirurgis vulnus minime lethale esse opinantibus, prima remedia adhibentur. De iis, quæ acciderant, deque regiæ salutis spe eodem tempore ad provinciarum præfides literæ perscribuntur. Externis Principibus, foedere atque necessitudine cum Henrico junctis, acerbi casus nuntii mittuntur. At vulnere ingravescente, tertia insequentis diei hora Henricus excessit.

*Henricus
Rex a Jacobo
Clemente
gladio percussus.*

Vix animo percipi potest, in atroci adeo facinore, exulceratis partium animis, quantum in diversa eventus traheretur. Perpetratum parricidium alii extollere, alii detestari. Qui foederi favebant, religionis ardorem, jejunia, assiduas ad Deum monachi preces efferebant, ut in vulgus quoque effunderent; dum totus divinitate perfunderetur, Angelum sibi visum, dicentem, surgeret, ad martyrii coronam properaret: eum se fore, qui, in Gallia catholica religione excitata, Regem illam quatere, atque excindere nitentem interficeret. Narrabant alii, quorundam ea in theologorum consilium quæsisse; qui, non omni spiritui credendum, sed mature tantam rem expendendam, dixissent: lege quidem homicidium prohiberi; in divinis tamen literis Phineem, Matathiam, & Judithem impios confodientes, quod pro Dei Optimi Maximi cultu ea egissent,

com-